

14
DISPUTATIO JURIDICA
DE
RAPINA,

Cr. 9 num. 1
2

1640, 2

Quam

Duce Christo,

Indultu Magnifici atq; Nobilissimi Jctorum
in inelytâ Salanâ Ordinis,

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, atq;
Excellentissimi,

DN. ZACHARIÆ Prueschencken

JCTI EXIMII, CONSILIARII SAXONICI

gravissimi, Pandectarum Professoris meritissimi,

Curia item Provincialis & Scabinatus Adfessoris spe-

ctatissimi; Dn. Præceptoris, Patroni ac Promo-

toris sui continuo observantiæ & ho-

noris cultu reverenter

prosequendi:

Publico Eruditorum examini subjicit

FRIDERICUS Freiesleben/ Eisenbergensis.

In auditorio Jctorum.

Ad diem Novembr.

JENÆ,

PRELO LOBENSTEINIANO.

ANNO clj lcc XXXX.

30



DISSEMINATION

RESEARCH

RESEARCH

RESEARCH

RESEARCH

RESEARCH

RESEARCH

RESEARCH

RESEARCH





IN NOMINE DOMINI
nostri Jesu Christi.

Præloquium.



ta omninò est: Quemadmodum miles per lusoria certamina se pugnae præparare assolet: Sic Jurium cultores prudentiæ civili, & rerum agendarum arenæ per frequentiam disputationum assuefieri oportet. Verissimè namq; in has quadrat, quod Artabanus apud *Herodotum in Solym. lib. 7. de Principum ac Magnatum consultationibus* pronuntiat; nisi diversæ inter se dicantur sententiæ, non posse quem eligere saniozem, sed necessum habere, quæ dicta sunt, tenere: At cum plures & diversæ prodictæ fuerint opiniones, licere verum à falso, ceu aurum purum à scoriis secernere. Cogitanti autem mihi, ecquam potissimum juris materiam sub disputationis incudem revocarem, ea cum primis meo arrisit palatui, quæ detestandum *Rapina* crimen penicillo suo adumbratum, & vivis quasi coloribus depictum exhiberet; tum quia, satis est quotidiana, hoc præsertim licentiosissimo Martis seculo, quo prædonibus atq; piratis omnes totius Europæ anguli velut Amaltheæ cornu sūt repleti; tum quia, cum utilitate admirandâ, suas quoq; difficultates conjunctas habet. Ne autem hîc velut per vastum agrum vagus palari videar, hosce intra termi-

nos discursum meum coercebo, consideraturus Rapi-
pinam & ut *perpetrandam*, & ut *perpetratam*. *Perpetran-*
dam in genere & in specie. In genere, tum in *definitio-*
ne sua, tum *divisione*. In *specie*, per *causam Efficien-*
tem, Objectum, & Formam explicando. *Perpetratam*, ra-
tione *Effectus*, & *pœnae*, tum *Ordinariae*, tum *Extraordi-*
nariae. Incipit ergo feliciter.

THESIS I.



uando quidem solenne hoc obtinent
Icti, ut quoties rem arduam & intricatam aggre-
diuntur, toties eandem primò omnium à defini-
tione auspiciuntur; meritò & ego eorum insistenti-
vestigii, disputationis meae initia à definitione
arcessam.

II. *Definitio* autem vel *Nominis* est, vel *Rei*. *Nominis*
absolvitur *Etymologia*, *Synonymia* & *Homonymia*.

III. *Etymologiam* quod spectat, *Rapina* à *Rapiendo*,
hoc est auferendo, tollendo, amovendo, suum sortita est no-
men. *pr. Inst. h. t. de vi bon. rapt. l. 1. & l. 2. ff. eod. l. 4. ff. ne quis*
eum qui in jus vocat. &c.

IV. *Synonymiam* verò quod attinet, *Rapinam* hinc
indé apud *Dd.* appellari deprehendo *Depradationem*, *Robba-*
riam, *Grassationem* & *Latrocinium*; quanquam hoc ultimum,
propriâ verbi significatione penitiùs inspectâ, reverà à *Rapi-*
na differat. *Hæc* namq; in solâ rerum ablatione & spolio
violento acquiescit, nec effusione sanguinis humani adeò de-
lectatur, sicq; cum furto quasi fraternizare videtur: *Latro-*
cinium verò atrocius est, & nunquam absq; interfectione ho-
minis committitur, licet depradationem individuum agno-
scat sociam, atq; sic propiùs ad homicidii crimen accedit.
Hinc *Latrones* propriè dicuntur, qui spolia causâ hominum
vitæ insidias struere consuecunt. *l. 4. in pr. ff. ad L. Aquil. l. 28.*
S. 15. ff. de pœn. l. 4. C. ad L. Cornel. de Sicar. Quiq; vernaculâ
nostrâ

nostrâ linguâ vocantur *Mörder*. At Raptores, sive prædones appellantur, qui vi homines in viis aggrediuntur, iisque bona sua violentâ manu auferunt & rapiunt; vulgò *Kräuber/Buschflöpfer/Beutenmacher/Taschenflöpfer/Freybeuter* &c.

V. *Homonymia* Rapinæ latet in eo, quod & *latè* & *strictè* sumatur. *Latè*, pro quacunq; deprædatione, etiam eâ, quæ cum hominis occisione est conjuncta, quam in speciale Latrocinii crimen incidere, jam modò indigitavi. *Strictè*, pro ablatione violentâ rei mobilis, absq; cæde alterius perpetratâ. Quin & illud ad Homonymiam referri debet, quod Rapina in significato generaliori, *Invasionem*, quæ aliàs circa res soli est occupata, suis ulnis comprehendat, ceu quidem clarescit ex §. i. in fin. *Inst. h. t.* ibi: *Ut ex hac causa, ab omni Rapina homines abstineant* &c.

VI. *Rei definitio*, aut si mavis, descriptio talis esto: *Rapina est contrectatio rei alienæ, mobilis, corporalis & profana, vi doloq; malo facta.* Hæc definitio constat genere & differentiâ specificâ. Generis vicem subit *contrectatio*; & rectè: cum omnis Rapina sit contrectatio, non verò omnis contrectatio Rapina, scil. quatenus Rapina ut ipsum factum, quo quis delinquit, consideratur. *pr. Inst. h. t.* Quatenus verò in hoc facto jus, sive ipsum maleficium, quod ex re est, i. e. ex ipso facto, ut Justinian. loquitur in §. i. *Inst. de Oblig. quæ ex delict. nasc.* spectatur, contrectationem pariter atq; violentiam hujus maleficii formæ partem, non genus esse, nemo sanum habens synciput ibit inficias. Contrectando namq; non minus, quam furtum Rapina perficitur; quamvis non simpliciter contrectando, sed si vis dolusve malus accesserit: Eoq; respectu differt à furto, & Raptor fur improbior ac fur manifestus appellatur. *l. 14 §. 12. ff. quòd met. caus. l. 80. §. 3 ff. de Furt. l. 2. §. 10. ff. h. t.* Cætera in hac definitione posita verba, *differentia* obtinent locum. Quod enim dixi Rapinam esse contrectationem rei alienæ, eo ipso commonstrare volui, quomodo *Rapina* & *Raptus* à se invicem differant; quamvis enim utriusq; genus contrectatio violenta existat, *Raptum* tamen non ad violentam rei, sed *personæ* ablationem referri, vel Homericis

Saltem oculis §. 8. *Inst. de publ. jud. & l. un. C. de Raptu virgin.*
intuenti, patescit. Sic ex verbo in definitione adjecto *mobi-*
lis colligere licet, quale inter *Rapinam & Invasionem* sit di-
scrimen. *Invasio* siquidem ad res immobiles. §. 1. & 2. *Inst. h.*
1. Rapina autem ad mobiles & se moventes spectat *d. 1. & l. 1.*
C. eod. Neq; tamen sufficere videtur in *Rapina*, ut res sit mobi-
lis, sed requiritur insuper, ut sit prophana; ideo addita quoq;
est vocula *Prophana*. In sacris namq; rebus, non *Rapinam*,
sed *Sacrilegium* committi, *ext. t. ff. & C. de Crim. Sacril. nec non*
c. conquestus 16. extra de foro compet. c. nulli liceat. 12. q. 2. nemo
non deprehendet.

VII. Definitionem in abrupto successionis foedere,
subsequitur *divisio*. Dispescitur verò *Rapina* in *Publicam &*
Privatam. *Illam* voco, quæ à prædonibus in viis atq; stratis
publicis perpetratur. *l. 28. §. 10. ff. de pæn. in verbis: in itineri-*
bis & c. Hanc, quæ ab illis in oppidis, villis atq; ædibus priva-
tis exercetur. *Nov. 134. c. ult. ibi: in domibus aut itineribus.*
Utraq; vel est *directa & immediata*, vel *mediata & indirecta*. *Illæ*
sic appellatur, quando quis ipse directò res mobiles, alteri vi-
olentâ manu extorquet. *Hæc* verò vocatur, cùm quis media-
tè, & indirectò per alium vel solo mandato, vel pecuniâ in-
terveniente, res mobiles alicui auferri procurat.

VIII. *Causa efficiens principalis* est homo, cujuscunq; il-
le sit sexûs, conditionis vel status. Neq; enim hîc foeminas ex-
cludendas esse existimo; quia & in his malitas animi impro-
bûmve consilium haud rarò invenitur, quod utiq; legum pœ-
nis coerceri debet, ne in publicum erumpat malum. *arg. l. 2. §.*
3. ff. ad S. Crum Vellei. Unde licet istis sexûs imbecillitas, mul-
tum in jure suffragetur. *l. 2. & t. t. ff. & C. ad S. Crum Vellei.* de-
linquendo tamen, æquè ac viri obligantur. *l. 2. C. si advers. de-*
lict. Sic q. q. haud distinguendum esse censeo, utrum quis sit
Plebejus vel *Nobilis*, liber an servus, civis an peregrinus. Inter
hasce n. personas, quoad delicta perpetranda, nulla est diffe-
rentia. *arg. l. 7. §. 1. ff. de Jurisd.* licet quoad pœnæ qualitatem
& ejus impositionem, inter plebeium & nobilem, liberum &
servum, jura nonnunquam distinguant, ut videre est *ex §. 4.*
Inst.

Inst. de Publ. jud. l. 1. §. 5. ff. ad L. Cornel. de Sicar. d. l. 7. §. 3. ff. de Jurisd. l. 3. ff. ad L. Jul. de vi privat. l. 2. ff. de Custod. reor.

IX. *Minus principalis impulsiva est fraudulosa per vim auferentis voluntas, quæ tamen abesse intelligitur, vel ex conditione persona, vel ex causa rapiendi. Ex conditione persona abesse censetur, si dolus in eam non cadat. Hinc meritò veniunt excipiendi, Infantes, quia nesciunt, quid agant. l. 1. C. de fals. monet. carent sensu. l. 32. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. poss. & affectu. l. 26. C. de donat. Omni culpâ vacant. l. pen. in fin. ff. de fideicom. libert. Imò pro invitis habentur. l. 5. ff. de servit. urb. pred. Quin & furtum in eos cadere nequit. l. 23. ff. de Furt. Quomodo ergò criminis istius, quod furtum improbius censetur, capaces esse poterunt?*

X. *Quibus adnumeramus Impuberes, illos tamen qui infantia proximi existunt; Tales enim quoniam à furiosis parùm distant, ut loquitur Imp. in §. 10. Inst. de inutil. stipul. animoq; nocendi destituuntur. l. 23. §. 2. ff. de edil. edict. l. 3. §. 1. ff. de sepulc. violat. haud immeritò à Rapina excusantur. l. 2. §. 19. ff. h. t. siquidem ipsi eandem exercuerint; Sin verò Servi ipsorum huic crimini operam navarint, à noxali vi bonorum raptorum actione haud liberabuntur. d. l. 2. §. 19. ff. h. t.*

XI. *Haud impar de Furiosis esto iudicium. l. 40. ff. de R. J. l. 22. §. 7. ff. solut. matrim. Neq; enim minùs ac infantes dolo carent. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. per omnia atq; in omnibus absentis vel quiescentis loco sunt. l. 124. §. 1. ff. de R. J. quin & satis suo furore puniti videntur. l. 14. ff. de Offic. prasid. l. 9. §. fin. ff. ad L. Pompej. de parric. Quod tamen de iis intellectum volumus, qui continuo furoris infortunio laborant, non qui intermissa habent intervalla, & in conspectu inumbratae sunt quietis. l. 18. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. poss. Hi enim intermissionis tempore si delinquant, utiq; animadversionis severitatem haud effugiunt. d. l. 14. in verb. nec morbo ejus danda est venia. ff. de Offic. prasid. Coetèrùm qui stultorum nomine aliàs designantur, oppositi prudentibus, errantibus aut peritis, ad præsentem dilquisitionem non pertinent. His quippe non animi morbus miserabilis, sed temeritas & ineptia culpabilis*

xp. r o-

exprobratur. l. pen. §. fin. vers. quod si. ff. de Jur. & fact. ign. l. 4. ff. quod vi aut clam.

XII. Pariter & *Noctambulos* in eorum, qui voluntate delinquendi destituuntur, classem referimus; Furiosis enim & mortuis comparantur, per ea quæ habet Magnificus quondam hujus loci Ordinarius, *Dn. Petrus Theod. piæ memoria, in suo Collegio criminali Disput. 1. th. 25. sub lit. F.* nisi fortean habeant consuetudinem surgendi ac lædendi alios, notate *Gail. lib. 2. Observ. 110* Nam hi, quoniam haud ignorârunt, se eo vitio laborare, ut dormiendo surgerent, insimulq; vim inferrent, nec tamen se ligari viciriq; aut alio modo huic vitio mederi procurârunt, quin pœnæ capistro sint subjugandi, cû stabile non est.

XIII. Idem statuendum est de *Ebriis*, qui nim. in ebrietate enormi & profundâ sunt constituti temulentiâ, quæ hominem ita sensu rationis omni privat, ut nec pes nec manus officium suum facere ullo modo possit. Tales enim ob mentis alienationem nec velle, nec consentire dicuntur. *cap. 14. de vita & honest. cler.* Unde quod ebullitio circa cor in iracundis. *l. 48. ff. de R. J. hoc vinum in ebriis operatur. arg. l. 11. §. 2. verbo. Impetu ff. de pœn. c. venter §. distinct 35.* Advertas tamen, hoc fallere (1.) in milite, cujus delicta in ebrietate commissa, tantum abest ut novissima Imperii constitutio excuset, ut potius accuset. *Neuer befallung zu Speyer auffgericht. art 56. (2.)* in eo, qui sobrius propositum rapiendi habuit, & postea ebrius factus illud in effectum deduxit. *Carpz. part. 3. pract. crim. q. 146. n. 56. (3.)* Si ebrietate cessante delinquens delicti non pœniteat, sed potius de eo gloriatur; quomodo Aristoteles refert, non excusari eum, qui cum canem lapide percutere vellet, & novercam percuteret, acclamavit: *ne sic quidem malè*; quoniam ista approbatio operatur, ut actio retrò & ab initio voluntaria fuisse censeatur.

XIV. Meritò tamen ab horundem consortio excluduntur *Prodigi*. Quanquam enim furiosis comparentur. *in l. 7. §. 12. ff. quib. ex caus. in poss. eat. l. 6. ff. de V. O.* æquiparatio tamen isthæc saltem secundum quid, non per omnia procedit;

cedit; nim. quoad contractus, alienationes & bonorum ad-
ministrationem, in quibus prodigus neq; modum neq; finem
expensarum servans, dilacerando ac dissipando furiosum re-
rum suarum facit exitum: In delictis autem furioso nequa-
quam est æquiparandus, sed qui doli capax censetur, pœnæ
ordinariæ subjiciendus, docente *Bachov. in not. ad Treut. vol. 1.
disp. 6. tit. 5. lit. d.*

XV. *Ex causa rapiendi* voluntas abesse intelligitur,
quando quis errore aliquo ductus, rem suam esse existimans,
& imprudens juris eo animo rapuerit, quasi Domino liceat
per vim rem suam auferre possessoribus. Deficit enim hîc
formalis ratio delicti, videlicet dolus, quem error juris exclu-
dit. *l. 25. §. 6. in fin. ff. de hered. pet. l. 12. §. 3. ff. de liber. caus. à
quo qualibet causa etiam injusta ac fatua (ut loqui amat Dd.)
excusat.* Notandum tamen hîc est, Raptores ejusmodi à vi
bonorum raptorum judicio excusari quidem, nō tamen pror-
sus impunitos evadere, & quidem si proprias res ita eripue-
rint, dominio mulctari; si alienas, & res & æstimationem ea-
rundem restituere teneri. *§. 1. Inst. h. t. l. 7. C. unde vi.* Ab hoc
in passu Jus Saxonicum, quo omnes illi, qui bona aliena non
tantum mobilia, verum etiam immobilia, per modum abre-
ptionis auferunt, (ut habent verba *Nov. 63. cap. 1. vers. unde si & c.*)
non aliter puniuntur, nisi ut restituant bona violenter occu-
pata, judici mulctam & pœnam 30. solidorum ei, cui res ab-
repta est, persolvendo, *per textum Landr. lib. 3. art. 43. in pr. junct.
art. 47. in pr. Schneidw. in comm. ad Inst. §. 1. n. 8. h. t.* Et hoc qui-
dem obtinet, si prædones restituendi gaudeant facultate; quod
si verò eadem sint orbat, tunc violētiam passus rei suæ ablatae
valorem æstimare potis est: quo facto, Raptor ad eam quanti-
tatem condemnatur, nisi mediante juramento taxationem
rerum ablatarum diminuere paratus sit. *per text. expressum
Landr. lib. 3. art. 47.* Neq; tamen mulctam & pœnam luentes,
jus suum, quod fortean in re abrepta habuerunt, simul amit-
tunt, sed imò istud, per viam actionis repetere & persequi ipsis
integrum est, *per gloss. Weichbild art. 29. Schultz. in Synops Inst.
lib. 4. tit. 2. sub lit. B. Dn. Carpz. part. 2. pract. crim. q. 88. n. 19. cum*

B

3. seqq.

3. seqq. ubi quoddam Scabinorum Lipsiensium adducit responsum, cujus hæc sunt verba: Ob nun wohl der Schuldner vo gewendet, daß ihr euch solcher ewrer Anforderung durch die sel' ste' genhätige anmassung seiner Aecker/ gänglich verlustig gemache hetzet, vnd dieses fals sich vff die Käyserliche beschriebene Rechte/ als l. extat. 13. quod met. caus. § l. si quis in tant. am. C. unde vi. beruffen. Diweil aber dennoch solche Verordnung nach Sächsischen Rechten/ vnd gemeinen Wahn der Rechtsgelehrten vff Sächs. Boden nicht statte hat re. So habe ihr euch auch durch Anmassung berührter Aecker ewrer Schuldforderung keines weges verlustig gemache/ sondern es wird euch dieselbe nochmahls billich bezahle V. R. W.

XVI. *Objectum* Rapinæ subministrant (1) *res aliena*. Quemadmodum enim rei propriæ furtum fieri nequit. l. 21. ff. commod. ita nec Rapina. l. 2. §. 18. ff. h. t. rei namq; suæ quisq; moderator est & arbiter. l. 21. C. mandat. Intellige, si res plene propria est. Cui consecrarium, creditorem moroso suo debitori, qui nullo jure exceptionis munitus est, rem violentâ manu eripientem, Rapinæ crimen non committere l. 55. ff. de Furt. quamvis negari haud possit, eum in l. 7. C. unde vi poenâ incidere. Quod si res ex parte tantum nostra est, utiq; ejus Rapinam fieri, ex l. 15. §. 1. ff. de Furt. d. l. 2. §. 18. ff. h. t. cui libet sit obvium. (2.) *Mobilis*. §. 1. Inst. h. t. § l. 1. C. eod. tit. & hæc vel in specie ita dicta, ut aurum, vestis. l. 2. §. 25. h. t. vel se movens, veluti servus, pecus. d. l. 2. §. 18. § 21. Propriè enim res mobilis contractari; quod manuum est, res immobilis calcari; quod pedum. arg. l. 1. ff. de acquir. vel amitt. poss. dicitur. (3.) *Corporealis*. l. 75. ff. de Furt. Incorporalium namq; quia tactum non admittunt. l. 43. §. 1. ff. de acquir. rer. domin. Rapina nõ committitur, nisi quatenus accedunt reb9 corporalibus, & cum res mobilis corporalis violenter aufertur, per consequentiam cum ea Jus, sine illa re non subsistens, vi doloq; malo intervertitur. l. 1. §. 15. si is qui testam. liber. l. 25. §. 1. ff. de Furt. (4.) *Profana*. Rei quippe Deo dicatæ propriè fieri sacrilegium, supra in definitione ex textibus ibidem citatis deduximus.

XVII. Planè summatim ut dicam; agnoscit Rapina
|pro

pro Objecto res alienas, mobiles, corporales atq; prophanas; siue ea magni, siue exigui sint precii, nihil interest. Et hoc adeo verum, ut Depredator etiam ob rem minimam, videlicet gallinam. §. 16. *Inst. de R. D.* & vilissimam tabulam. §. 34. *d. t.* violenter occupatam actione vi bonorum raptorum possit pulsari. *pr. tit. Inst. b. t. l. 2. §. 24. in fin. ff. eod. tit. Nov. 63. cap. 1. vers. unde si parvam aliquam rem &c.* Quin & hodie, ubi poena Rapinae ex constitutione Carol. art. 126. capitalis effecta, Robatores rei minima, ultimo supplicio afficiendos esse, haud immerito quis dixerit. Nec est quod urgeas, nullam sic fore proportionem inter poenam & delictum; cum tamen supplicium semper aequale debeat esse peccato, juxta illud Venusini

ad sit

Regula peccatis, quae poenas irrogat aequas.

Respondeo enim Rapinam non ex rei violenter subtractae quantitate, sed ex qualitate potius, & animo surripientis aestimandam. l. 37. *ff. de Usucap. c. fin. caus. 14. quest. ult.* Hinc etiam refert Carpz. *in pract. crim. part. 2. q. 90. n. 46.* ad requisitionem Capitanei in Koswitz à Scabinis Lipsiens. in casu, ubi quis mendico aliquot nummos cum tintinabulo rapuerat, poenam gladii cum impositione rotæ dictatam fuisse. Tenor sententiae illius inter coetera sic sese habet. So möchte N. N. wegen solcher begangenen vnd bekanten Beraubung/in dem er einen Bettler auff der Strassen etliche Pfennige vnd ein Glöcklein abgenommen / mit den Schwert von Leben zum Tode gestrafft / vnd auff ein Radt gelegt vñ geflochten werde. B. R. W.

XVIII. *Forma* latet in ipsa rei alienae, mobilis, corporalis ac prophanæ, violenta atq; fraudulosa contrectatione. Et hæc vel vera est, vel ficta. *Vera*, cum quis revera rem alienam violenter atq; dolose eripit. Notater hic utimur verbo revera: quia quemadmodum sola cogitatio. l. 1. §. 1. *ff. de Furt. l. 3. §. 18 ff. de acquir. vel amitt. poss. verbum aut scriptura. l. 52. §. 19. ff. de Furt.* furem non facit; ita profecto nec Robatorem: Paritas namq; rationis æqualem juris dispositionem inculcat. l. 32. *in princ. ff. ad L. Aquil.* Voculae autem revera substernimus particulam violenter, indigitantes præcipuam formæ partem

B 2

Depræ-

Deprædationis veræ residere in violentia, quæ est omnis contra Jus in invitum & reluctantem violenta machinatio. *l. per. ff. ad L. Jul. de vi privat. l. 13. ff. quod met. caus.* Dicimus contra Jus, ut vim jure illatam excludamus; cujusmodi cernitur in defensione necessaria. *l. 3. ff. de f. & J.* item in Magistratu adhibente vim pro tuitione Jdictionis, administratione Justitiæ, executione ordinariâ & extraordinariâ *l. 3. §. 1. ff. Quod vi autem met. caus. l. 13. §. 1. ff. de injur.* nec non jure civili in patre cogente filiam nubere ei, quem ipse velit, modo ipse dignum moribus & honestum sponsum eligat. *l. 12. §. 1. ff. de Sponsal.* Adjicimus in *reluctantem*, quia consentiente & volente Domino nunquam Rapina committitur; nemo siquidem videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt. *l. 6. §. 9. ff. quæ in fraud. cred. & l. 45. ff. de R. J.* Hocq; perpetuum est in delictis maxime privatis, ut in volentem non delinquatur. *l. 1. §. 5. ff. de injur. l. 9. §. 1. ff. de aqua & aqua pluv. arcend.* Hinc rectè scribit Paul. in *l. 63. ff. de donat. int. vir. & ux.* Non esse furtivum; quod sciente domino inclusum est; pariter & Ulpian. in *l. 48. §. 2. ff. de Furt.* Quis voluntatem Domini habens, fur (addim9 & Raptor) dici poterit? Nisi tamen fortè dominus ideò sciens patiatur fieri Rapinam, ut in ipso facto Raptorem deprehendat, velut in casu *§. 8. Inst. de Oblig. quæ ex delict. nasc. l. 20. C. de Furt.* Possis quidem ex mente Accursi, Vultejii, Sutholti & aliorum distinguere inter ipsam Rapinam, & actionem vi bonorum raptorum, ut dicas, Rapinam quidem commissam esse, at actionem ejus nomine locum non habere: Verùm vix permittit hoc ipsum legum adductarum auctoritas, præsertim *l. 20. C. de Furt.* in verb. *& quemadmodum secundum juris regulas furtum non est commissum & c.* quam cum cæteris inductam videbis apud Excellentissimum Dn. Ullgep. exerc. 13. q. 6. & Riem. p. m. decad. 12. q. 5. qui pluribus hanc controversiam persequuntur.

XIX. Porro quanquam quinque vulgò à Doctoribus tradantur species violentiæ, & quidem (1.) *expulsiva*, ubi quis alium re sua immobili dejicit & expellit (2.) *ablativa*, quâ quis alteri aufert & eripit res mobiles (3.) *compulsiva*, ubi quis alio cogente metu quid facit. (4.) *turbativa*, quæ est inter duos, qui se

se possidere eandem rem asserunt. (5.) *inquietativa*, ubi quis non possidens, alterum in suo aliquid facere prohibet: In hoc tamen crimine ita requiritur vis ablativa, ut nō tantum compulsiua, sed etiam reliquæ species omnes excludantur. Cæterum non hîc distinguimus inter vim *publicam* & *privatam*, quia utraq; ad nostrum scopum est directa. Sub *publica* intelligimus eam, quæ infertur armis. §. 8. *Inst. de publ. Jud.* quia armorum usus publicus est, non privatus. l. 1. ff. *ad L. Jul. de vi publ.* quâ de causâ etiam *armata* dicitur *in tot. tit. de vi & vi armat.* per *privatam* autem quæ fit sine armis, & modò coactis hominibus, modò per cœtum & concursum; modò his remotis. l. 4. & 5. ff. *ad L. Jul. de vi privat.*

XX. Postremò non sufficit ad Rapinam, rem esse vi ablatam, nisi vis illa dolo malo insimul fuerit illata: Nam non tam factum, quam causa faciendi inspicitur. l. 43. §. 4. 5. & 6. ff. *de Furt.* & dolus malus delicta qualificat, qui si absit, Rapina non committitur. l. 50. §. 1. & 4. ff. *de Furt.* Unde, si quis non dolo, sed quòd putaret, Dominum consentire, rem alienam rapuerit, iudicio vi bonorum raptorum non tenetur. §. 7. *Just. de Oblig. quæ ex delict. nasc.* Ubi tamen observes, non sufficere quamcunq; existimationem & voluntatis domini allegationem, quia contra Robatorem præsumtio militat *juris. arg. l. 48. §. 3. in fin. ff. de Furt.* propter quam nec creditur, etiam si juret, se putasse dominum consentire; Sed talem, quæ in quâdam probabilitate, quam iudex ex amicitia, cōsanguinitate, rei pretiositate æstimabit, consistit. *Menoch. arbitr. jud. quæst. casu 298 n. 2.* Quocirca si quis subriperit duos sacculos unum decem; alterū vigintia aureorū, quorum alterum suū esse putavit, alterum scivit alienum; profectò unius tantum, quem putavit alienum, Rapinam committit, *arg. l. 21. §. 3. ff. de Furt.* Sed etsi quis in via publica spoliet eū, à quo prius fuit spoliatus, in Rapinæ crimen non incidit. Versatur enim talis in terminis defensionis bonorum suorum, quæ jure est permissa. l. 1. *C. unde vi c. interfecisti 2 de homicid.* Bona namq; fortunæ alter sanguis & vita hominum appellantur. *tex. & gloss. in l. q. ubi: laborantium spem vitam & posteros defendunt C. de Ad-*

voc. divers. judicior. l. 4 ff. de agnosc. & alend. lib. Et licet Dd. communiter rerum defensionem eatenus saltem admittant, quatenus videlicet cum vitæ conjuncta est periculo. *Obrecht. in tract. de necess. defens. c. 8. n. 15. & seqq. Kremberg. q. 7. n. 15. 16. & seqq.* Attamen hoc ita exaudiri oportet, si defensor non modò restitutionem damni petere, verùm insuper etiam vitæ offensoris struere insidias paratus sit, utiq; si aliâ viâ rem ereptam queat redimere. Quid si verò defensio bonorum violenter ablatorum non nisi cum internecone adversarii posset expediri, fortè, quia Raptor incognitus equo insidens fugam captaret, an propterea licebit defensori sagittâ vel globo tormentario eum transfigere & occidere? Omnino; *per d. l. 1. C. unde vi. & l. 3. §. 9. ff. de vi & vi armat.* Ubi non solum ob rerum possessionem defendendam permittitur armis resistere, sed etiam possessionem amissam jam, armis rursus in cõtinenti recuperare; ergò etiam permittitur interficere adversarium, si aliâ ratione res abrepta nequeat salvari: Permissio enim aliquo, omnia videntur permissa, sine quibus ad istud perveniri non potest. *arg. l. 2. ff. de Jurisd. & l. 16. ff. de sponsal.* Respondent hîc quidem dissentientes, in dictis legibus agi de possessionis defensione, quæ fit cum inculcata tutela, quando scilicet periculum vitæ simul res defendenti intentatur; tùm quod expressa fiat mentio moderatæ tutelæ. *in l. 1. C. unde vi;* tùm quòd utrobiq; dicatur, quòd adversarius cùm armis venerit: unde defendentem in periculo vitæ constitutum fuisse, satis probari dicunt. Verùm eis regei sic commodè potest, quòd moderamen inculpatæ tutelæ cujus in *d. l. 1.* fit mentio, debeat accipi secundum subjectam materiam, non verò eo modo, prout in defensione sui corporis. Ibi enim moderata tutela perhibetur, quando quis se & vitam suam aliter, quàm adversarium suum interficiendo, tueri non potuit. Hîc autem ubi de defensione rerum tractatur, secus erit, idcirco id pro moderamine inculpatæ tutelæ habendum est, quando nec amplius, nec alio modo, quàm si quis in vasorem trucidaverit, res defendi nequeunt. Cum itaq; in *d. l. 1.* non de defensione sui & corporis, sed de tutela reali tractetur, utiq; nec
mode-

moderamen inculpatæ tutelæ de periculo vitæ simul intentato, interpretari debemus. Quod insuper ex eo etiam confirmari potest, quòd raro, imò nunquam discrimen vitæ in defensione rerum subesse possit, cum invasus semper illud, res in medio relinquendo & aufugiendo evitare queat; at hac ratione permissio in defendendis rebus prorsus frivola redderetur. Deindè in *d.l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm.* agi de simplici rerum defensione, nec ibi respectum fieri ad illud moderamen inculpatæ tutelæ, quod in defensione sui attenditur; constat exinde, quod deturbato jam de possessione, qui tamen amplius in vitæ discrimine constitutus non est, (potest enim dejicientem in possessione relinquendo tutò evadere & postea ordinariâ juris viâ contra illum experiri) permittitur eam armis in continenti recuperare. Verùm in evertendis dissentientium argumētis, diutius hîc immorari nolumus, ad aliud potiùs assertionis nostræ fundamētum festinâtes, quod desumitur ex *l. 4. §. 1. & l. 5. in pr. ff. ad L. Aquil.* Ubi furem telo se defendentem impunè licet occidere: ergò multò magis concessum erit, spoliatorem vel Robatorem occidere, siquidem alio medio res ablata redimi nequit. Huic superaddi potest *art. 150. Const. Carol. crim. princ. in verb.* Item *So einer zu Rettung etnes andern Leib/ Leben oder Guch/ jemand erschläget.* Ubi certè inter homicidia impunita refertur etiam istud, quod ad defensionem rerum committitur: de eo enim casu, quo defensor bonorum simul in periculo vitæ & corporis constitutus est, ibidem non agi, manifestè apparet ex disjunctione vocabulorum *Leib/ Leben oder Guch.* videatur. *Dn. Petr. Theod. in Disp. Colleg. crim. II. th. 4. lit. E. & Jacob. Xyret in tr. ad l. ut vim ff. de J. & J. n. 156. cum multis seqq.* apud quos & contraria doctissimè refutata offendes.

XXI. Et hæc quidem de Rapina vera dicta sufficiant; nunc paucis etiam de *Ficta* dicendum. *Ficta* autem Rapina est, quam quoad considerationem effectus jus pro vera agnoscit. Agnoscit enim pro Robatore. (1.) *Dominum*, cujus familia vi rapuisse dicitur, *l. 2. §. 14 ff. b. t.* Appellatione autem familia hîc continentur servi, h. e. illi, qui in ministerio sunt, etiam

etiam si liberi homines sint, & Terri alieni, bona fide nobis
 servientes. *d. l. 2. §. 14. l. 1. §. 16. & 18. ff. de vi & vi arm. (2.)* *Recep-*
torum, qui rem violenter ablatam animo celandi recipit.
l. 1. ff. de receptat. l. 3. §. 3. ff. de incend. ruin. naufr. l. 1. C. de his qui
Latr. vel alior crim. reos occult. l. 9. C. ad L. Jul. de vi publ. Et hoc
 non modo Juri civili, verum etiam Saxonico conveniens est,
 ut patet ex *art. 13. lib. 2. Landr. in verb. Wer Diebe behauset / oder*
Raub hõlet / oder einen mit Hülffe, darzu stärcket / wird er des
überwunden / man soll über ihn richten / als über jenen / der es
selbst gerhan hat. Hinc vel illud apud Teutones in proverbii-
 um abiit: *Der Häler ist so gut als der Stehler (3.)* *Mandan-*
tem, qui verbis vel imperativis vel precativis effecit, ut Rapi-
 na committeretur. Nihil enim interest, an quis ipse delin-
 quat, an verò causam delicto dolosè præbeat. *arg. l. 25. ff. ad L.*
Corn. de Sicar. l. 11. §. 3. ff. de injur. (4.) *Auxiliatorem*, qui consili-
 um rapiendi dedit, & operam in eo scelere præstitit *arg. l. 52.*
§. 21. ff. de Furt. & art. 13. lib. 2. Landr. ibi: oder einen mit Hülffe
darzu stärcket etc. (5.) *Emptorem*, qui consultò & scienter rem
 ereptam emere non dubitavit. Paria enim sunt, facere sce-
 lus & probare scelus *arg. l. 1. ff. de Receptat.* Videtur autem
 emptor instar receptatoris delictum approbare, & ex hac sua
 approbatione in criminis ejusdem suspicionem incidere. *l. 2.*
& 5. C. de Furt. Nisi non suo nomine & animo sibi retinendi,
 sed in utilitatem Domini veri acquisierit, & expressè tempore
 contractus protestatus fuerit, se rem ea intentione emere, ut
 eandem Domino servet. Cessat enim in hoc casu sceleris ap-
 probatio, ac proindè etiam cessabit criminis suspicio. Nam
 indubiè is bona fide agit, qui nullum sibi lucrum quærit, sed
 utiliter Domini negotium gerit, ejusve commodum promo-
 vet. *l. 11. C. de negot. gest.* Nemini autem officium suum debet
 esse damnosum. *l. 7. ff. testam. quemad. aper. l. 61. §. 5. de furt.* Vi-
 deatur *Magnif. Dn. Finckelthaus. Observ. 57. in resolut. dubior.*
n. 17.

XXII. Et tantum de *Rapina perpetranda.* Considera-
 bimus nunc *perpetratam*, ratione *Effectus*, & *pæna* tum *ordinaria*
 tum *extraordinaria.*

XXIII. *Effe-*

XXIII. *Effectus Rapinae est vel Generalis, vel Specialis. Generalis consistit in ipsa Obligatione & Actione.*

XXIV. *Obligatio illa est juris vinculum, quo reus ad poenam adstringitur, & criminalis oppositivè ad civilem nuncupatur, quia ex delicto. l. 32. ff. de O. & A. sive maleficio. l. 1. princ. d. t. profuit. Obligatio hæc an sit ex consensu, inter eruditos disceptatur. Ab affirmantium parte stat Hillig. in Donell. Enucl. lib. 15. comm. c. 23. lit. B. A negantium contra biga judiciosissimorum Jctorum Dn. Frantz. Exerc. 12. q. 1. & Riem. p. m. Decad. 12. q. 2. & 3. Quorum sententiæ & nostrum apponere calculum allubescit, firmissimis quæ superstructa esse videtur fundamentis. Disertè hoc ipsum probat princ. Inst. de Oblig. quæ ex delict. nasc. Ubi Jctus ait: Hæ (scilicet obligationes ex delicto) omnes unius generis sunt: Nam omnes ex re nascuntur, hoc est, ex ipso maleficio. Clariùs hoc exprimit Gajus in l. 4. ff. de Oblig. & Act. in verb: Omnia unius generis sunt, nam hæc re tantùm consistunt, i. e. ipso maleficio: cum alioquin ex contractu obligationes, non tantùm re consistant, sed etiam verbis & consensu. Hic apprimè notandum venit, quòd Jctus in d. l. utatur particulâ taxativâ tantùm, ut eâ ratione excludat cõsensum in delictis, qui in contractibus ad eosdem constituendos necessariò requiritur. Facit huc l. 52. in pr. de O. & A. ubi hæc duo ex consensu obligari, & ex peccato expressè sibi invicem opponuntur. Deniq; juvat hanc sententiam, quòd dentur delicta, ubi nec quidem delinquentium ullus est animus, vel voluntas, sed sufficit, si adsit aliquando levissima culpa, uti in damno ex L. Aquilia. l. 44. ff. ad L. Aquil. fieri videmus; quamvis fateamur à particulari ad universale imbecillum esse consequentiam. At dices fortean ex mente Hillig. quòd in jure nostro crimen contrahi. l. 8. ff. de Publ. & vectig. l. 15. & l. 31. §. fin. ff. de Donat. & ipse quis poenæ se subdere. l. 34. ff. de Jur. Fisc. & sua mente puniri. l. fin. C. ad L. Jul. Majest. dicatur: Verùm respondemus concedendo quidem, quòd delicta ex animo, voluntate, affectu & sensu æstimari debeant. §. pen. Inst. de Oblig. quæ ex delict. nasc. l. 3. §. 1. ff. de injur. l. 53. in pr. ff. de Furt. l. 1. §. 3. & l. 14. ff. ad L. Cornel. de Sicar. negando tamen & pernegando,*

C

gando, voluntatem vel etiam mentem in *ll.* allatis sumi pro consensu. Certum enim est, consensum propriè esse plurium, non unius, attestante ipso *Hillig. lib. 14. comm. D. E. c. 16. lit. B. & lib. 15. c. 14. in fin.* Consensus enim est, quasi simul sensus, quando cum alio sentimus; & qualis quæso esset consensus, si ex diversis animi motibus, non in unam sententiam duorum vel plurium sensus decurrerent, juxta *l. 1. §. 2. & l. 3. ff. de Pact?* Ast in delictis unius tantùm videlicet delinquentis sufficit voluntas: neq; enim ex parte damnum accipientis, vel ante vel post crimen commissum, ullus adesse poterit; non antè, quia cum unusquisq; sui, rerumq; suarum expetat conservationem, nullus profectò erit, nisi cum sene illo apud Comicum septem, geminâ vexetur insaniâ, qui alicui res rapere volenti, consentiendo adstipuletur; non post, quia nec verisimiliter factũ improbum & damnum indè emergens approbâsse, & subsequenti suo consensu quasi habilitasse quisquam fingi potest. Dicendum igitur impropriam, non verò propriam esse voluntatem ac mentem in pœna, quod haud difficulter colligitur ex *l. fin. C. ad L. Jul. Maj.* in verb. *quodammodo sua mente punitur.* Si quodammodo, utiq; non propriè. Vocula namq; *quodammodo* improprietas nota est. *§. 2. Inst. de hered. qual. & differ. & l. 4. §. 1. in fin. de Verb. Oblig.* Cætera quæ à dissentiente *Hillig.* ejusq; assæclis proferuntur nervosè discussa invenies apud laudatos *Dn. Frantz. & Riem. dictis loc.*

XXV. *Actio*, quæ posterior Rapinæ Effectus, vel est *civilis*, vel *criminalis*. *Civilis* iterùm vel *Communis*, vel hujus delicti *Propria*. *Propria* appellatur *actio vi bonorum raptorum*, quam Prætor ob delicti hujus atrocitatem specialiter introduxit, & definiri potest, quod sit actio pœnalis mixta, quæ ille cuius interest, à Rapitore, aut eo qui loco Raptoris est, pœnam quadrupli vel simpli persequitur. *Mixta* vocatur propterea, quia simul & rem quæ abest & pœnam petit, & quia in quatruplo non est mera pœna, sed in eo res ipsa vel æstimatio ejus continetur *pr. Inst. b. t. l. 1. & l. 2. §. 13. ff. eod.* In puris pœnalibus, veluti furti non manifesti vel manifesti actionibus, contra observatur. *l. 48. in pr. & l. 5. §. 3. ff. de Furt. Consignanter*

ter hîc usurpavimus phrasin, quâ ille, *cujus interest* &c. Cum enim hoc dicimus, intelligimus, non tantum Domino dari hanc actionem, ejus bona mobilia vi doloq; malo rapta sunt, verum etiam alio, qui pro restituendâ re, ejus custodiam & culpam præstare obstrictus est, à Domino conveniri potest; quales perhibentur creditor, commodatarius, conductor & alii, quibus de *in l. 2. § 25. cum duob. seqq. ff. b. t.* Unde colligitur hos omnes, siquidem illorum culpâ levi vel levissimâ, non casu fortuito (qui regulariter Domino non præstatur. *l. 23. ff. de R. J.*) Rapina facta doceri possit, vi bonorum Raptorum judicio experiundi facultatem habere, ita quidem ut Dominum protinus excludant, propterea, quia ei satis actione contractus provisum est. *l. 12. & l. 14. § 12. l. 90. ff. de Furt.* modò tamen omnes solvendo existant; cæteroquin Domino quoq; adversus Raptorem actio competit. *d. l. 12. l. 90. ff. de Furt.* tunc enim ejus interesse incipit. *§ 15. Inst. de Oblig. quæ ex delict. nasc.* quatenus nec habent quæ perdant, & Domino in solutum concedant.

XXVI. Pro majore præcedentiû verborû luce sciendû, illis demum personis, quarum interest, vi bonorum Raptorû competere actionem, si ex *honestâ causa* ipsarum interesse procedat; Regula enim juris est, neminem ex sua improbitate actionem habere posse. *l. 134. § 1. ff. de R. J. l. 12. in pr. & § 1. l. 14. § 3. l. 76. § 1. ff. de Furt.* Hinc rectè denegatur malæfidei possessori. *d. l. 12. § 1. & furi, qui rem citra voluntatem domi detinet. l. 14. § 4. ff. de Furt.* quo usq; tamen hoc procedat vide latè Magnif. Dn. Frantz. Exerc. 12. q. 3.

XXVII. Et tantum quidem de personis, quibus actio vi bonorum raptorum datur. Paucis nunc contra quas porrigitur. Datur autem non modò contra ipsum Raptorem, verum etiam eum, qui loco Raptoris est, veluti Dominum, ejus familia vi rapuisse dicitur, Receptatorem, Mandantem, Auxiliatorem, & Emptorem, qui res raptas scienter emit, per ea, quæ *supra in th. 18. circa finem* à nobis allata fuere. Cæterum, excipiuntur quædam personæ, quas vel ob reverentiam, vel actionis ipsius naturam, vel etiam potestatis vinculum, actione

C 2

hac

hac pulsare lex prohibuit (1.) Ob reverentiam, experiri nequit
 vi bonorum raptorum maritus adversus uxorem. *arg. l. 2. ff. de
 act. rer. amot.* Nam socia rei humanæ atq; divinæ domus cen-
 setur. *l. 4. C. de crim. expil. hered.* libertus contra patronum, fi-
 lius contra patrem. *l. 5. ff. de obseq. patr. & libert. prastand.* Nam
 liberto & filio semper honesta & sancta persona patris ac pa-
 troni videri debet. *l. 8. d. t.* (2.) ob actionis naturam adversus
 heredes Raptoris, vel cæteros successores non datur. *l. 2. §. fin.
 ff. h. t.* Expediti enim juris est, quòd in heredem non soleant
 transire actiones, quæ pœnales sunt ex maleficio. *l. 111. §. 1. ff. de
 R. J. l. 23. §. 8. ad L. Aquil.* Ratio consistit in eo, quia delictum
 ita afficit personam, ut extra illam, & ab ea relatio illa trans-
 ferri & transire nequeat, ne quidem in heredem, qui delicti
 successor non est. *l. 22. C. de pœn.* modò tamen lis cum defun-
 cto non fuerit contestata. *l. 139. in pr. & l. 164. ff. de R. J. l. 26. &
 58. ff. de O. & A. l. un. C. ex delict. defunct. in quant. hered. conven.*
 quia litis contestatione, cum adversario quasi contrahitur. *l. 3.
 §. 11. ff. de pecul. & per eam actiones perpetuantur. l. 9. §. 3. ff. de
 Jurejur.* (3.) Ob vinculum potestatis, neq; filiusfam. patri. *l. 16.
 ff. de Furt.* cum filius & pater una eademq; reputentur perso-
 na. *l. fin. C. de impub. & aliis substit. nec servus Domino. l. 4. C.
 An serv. pro suo fact. post manumis. teneat.* quia inter ipsos ju-
 dicio ullum constare nequit. *l. 4. & 11. ff. de judic.* hac actio-
 ne tenetur; quod posterius tamen hodiè mutatum legitur in
*Const. Elect. Aug. 38. part. 4. in verb. Die Hausgenossen vnd
 daß Hausgesinde/ Knechte/ Mägde/ Diener/ Tagelöhner vnd
 dergleichen/ sollen wie andere Diebe/ wann von ihnen eine Dieb-
 be begangen gestrafft/ vnd zwischen ihnen vnd andern Dieben
 kein vnterscheid gehalten werden.*

XXVIII. Illud silentio prætereundum non est, acto-
 rem vi bonorum raptorum iudicio intra annum quadru-
 plum, post annum verò simplum persequi posse; nisi Judæus
 agat contra Christianum: quocunq; enim tempore Judæus
 actionem intentet, duplum tantummodò persequitur. *l. 6. C.
 de pagan. & Sacrif.* Quadruplum autem quod in hac actione
 continetur, non totum pœna est, ut in actione furti manifesti
 sed

sed rei etiam ipsiq̄ persecutionem continet *pr. Inst. h. t.* exindè tamen minimè inferre licet, Raptorem ipso fure mitiùs puniri, contra expressa verba *Imp. in fin. d. pr.* Nam uti rectè animadvertit *Vultej. ad d. pr. Inst. de vi bon. rapt. n. 13.* non confertur Rapina cum manifesto furto, sed cum nec manifesto, ubi utiq̄; graviùs punitur Raptor quàm fur. Deindè Raptor indistinctè, sive comprehendatur, sive non, tenetur in quadruplum, & præterea publico legis Juliae de vi iudicio. Videatur *Dn. Arum. p. m. Exerc. 17. th. 10. & Riem. Decad. 12. q. 6.*

XXIX. Propriam hujus delicti actionem excipit *communis*, quæ est *furti non manifesti & manifesti.* De illa res expedita est, *per l. 1. ff. h. t. De hac* verò gravis inter *Dd.* est conflictus, aliis eandem adversus Raptorem concedendam esse affirmantibus, aliis è diverso negantibus. Agentium cohorti me comitem sociare nullus dubito; Tùm, quia indistinctè Raptor furti teneri dicitur. *pr. Inst. h. t. & l. 2. §. pen. ff. eod.* tùm quia fur manifestus expressè appellatur. *l. 80. §. 3. ff. de Furt.* Utiq̄; si deprehensus in ipso delicto fuerit. *arg. l. 52. §. fin. ff. eod.* tùm quia ridiculum est, levioris conditionis esse eum, qui vi rapit, quàm qui clam amovet. *pr. Inst. h. t.* Quod si autem non competeret actio manifesti furti, præter vi bonorum raptorum, ut quod minus in hac esset, illà exigere liceret, casus me herclè existeret, quo levioris conditionis esset, qui vi rapit, quàm qui clam amovet: Siquidem furti manifesti pœna quadrupli, tota pœna est, & præter illam fur tenetur condictione, & reivindicatione, ad ipsam rem cum suis accessionibus *l. 1. & 4. ff. & C. de condict. furtiv.* Contra verò actio vi bonorum raptorum, etsi est in quadruplum, solummodò tamen tripli pœnam continet. *d. pr. Inst. h. t.* Atq; huic opinioni album adjecere calculum *Dn. Petr. Theod: p. m. in Colleg. crim. Diss. 2. th. 10. lit. E. Dn. D. Ungep. Exerc. 13. q. 9. in Ajo,* quos vide sodes.

XXX. Ab actione civili transimus ad criminalem. Est autem *criminalis* Rapinae actio, qua actor petit, ut delinquens non quidem sibi quicquam præstet, sed Reipublicæ debitas pœnas, sive pecuniarias, sive corporales persolvat. Quæ

C 3

autem

autem sint pœnæ Reipublicæ debitæ ex sequentibus thesibus
evadet manifestum.

XXXI. *Specialis* Rapinæ Effectus latet in ipsâ pœnâ,
ejusdemq; Executione. Pœna vel est *Civilis*, quæ agenti priva-
tim applicatur, vel *Criminalis*, quæ vel corpori facinorosi in-
fligitur, vel fisco persolvitur. Et hæc est vel *Ordinaria*, ubi legi-
bus expressè definita & delicto indicta est. *l. 3. ff. de priv. delict.*
l. 14. ff. de pœn. vel *Extraordinaria*, ubi arbitrio judicis est com-
missa. *l. 13. ff. de pœn. l. 3. C. ex quib. caus. infam. irrog.* *Extraordina-*
ria iterùm vel *Exasperata* vel *Mitigata* est, prout, ob circumstan-
tias in Rapinæ crimine concurrentes, legali Judicis discretio-
ne pœna vel aggravatur, vel minuitur. De singulis ordine
dispiciemus.

XXXII. Et primò quidem de pœna Rapinæ *Ordinaria*;
circa quam hæc Jure civili recepta videtur distinctio, ut siqui-
dem à Rapitore vis admitta fuerit privata, is amissione tertiæ
partis bonorum mulctetur, sin publica intervenerit, deporta-
tio ei ex *L. Jul. de vi publica* irrogetur, juxta §. 8. *Inst. de publ. ju-*
dic. Hodie, spreto hoc temperamento, Sanctione Carolinâ
constitutum legimus, omnes indifferenter Raptores capitali
animadversione esse plectendos, observato interim genere
supplicii, quo pro more cujusq; regionis criminis hujus reis
mors solet irrogari. Verba hujus Sanctionis in *art. 126.* hunc-
ce leguntur in modum: *Ein jeder Vossbassiger vberwundener*
Räuber/ soll nach vermög vnserer Vorfahren/ vnd vnser gemei-
nen Keyserlichen Rechten mit den Schwerdt/ oder wie an je-
den Orth in diesen Fällen/ mit guter gewohnheit herkommen ist/
doch am Leben gestrafft werden. Quin & ante hanc *Caroli V.*
constitutionem, in Jure Saxonico dispositum reperitur, Ro-
batores eodem supplicii genere cum homicidis, violatoribus
pacis publicæ & adulteris esse afficiendos. *art. 13. lib. 2. Landr.*
ibi: Die einen Mann schlagen vnd sahen/ oder berauben/ oder
brennen/ sonder Mordbrandt/ oder Mägde nothzögen/ vnd
den Friede brechen/ vnd in Ehebrechung begriffen werden/ de-
nen soll man allen die Häupter abschlagen. Quod postmodum
Serenissimus Saxonix Elector *Augustus* sua constitutione 35. §.
ult.

ult. part. 4. confirmavit. Illud insuper observantiâ diurnâ receptum videmus, ut cadaver Raptoris puniti, peractâ executione, rotæ affigatur, ibidemq; volucris coeli devorandum relinquatur; quam consuetudinem, licet duram haud infiteamur, attamen necessariam & omninò licitam agnoscimus. Constat enim ex *l. 16. §. ult. ff. de pœn.* Crescentibus delictis pœnas esse exasperandas; nihil verò hoc præsertim seculo Martiali Rapinâ frequentius, adeò quidem, ut illâ coercendâ, nullæ cruces, nulla patibula, ac ne Phalaridis quidem tyrannorum sævissimi tormenta sufficiant. Ecquis enim est, qui verâ Magistratus vindictâ aut coercitione in obedientiæ gyrum reduci possit? Ecquis est, pudore qui suffundatur, quò minus, sub turpissimo militaris licentiæ velo, viatoribus insidias parare, illisq; bona violenter extorquere, strenuè allaboret? Adeò nihil in rerum natura tam sacrum, quod non sacrilegum inveniat. Quapropter quod *Jctus Calistrat. de latronibus in l. 28. §. pœn. ff. de pœn.* pronuntiat, ad Raptores commodè applicari potest, eos nim. in his locis, ubi grassati sunt, furca figendos esse; ut conspectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus. Et huc respexisse videtur *gloss. in Welchbild. art. 36.* inquires. *Man begräbet die Diebe selten/darumb daß man andere damit erschreckt.* Eleganter *Ambros. in Psalm. 118. serm. 20.* Qui turpi vel scelesto reatu beluinæ obscœnitatis illuviem vel bestialis immanitatis horrorem commisisse detecti sunt, tanquam ii, qui proposito humanæ moderationis exciderint, formam q. q. humanæ conditionis jubentur exuere. Reciso n. capite, reliqui corporis truncus bestiarum corpori comparatur, & sapientiæ arce fraudatur, qui sapientiæ non potuit tenere rationem.

XXXIII. Cæterùm hæc ordinaria Rapinæ pœna locum sibi vindicat *Primo*; Ubi Raptor vel semel tantùm hoc crimine semet conspurcâsse deprehenditur. Verba siquidem *Ordin. Carol. crim. art. 126. nec non art. 13. lib. 2. Sandr.* tam generaliter sunt concepta, ut haud admittant restrictionis temperamentum: Ubi autem lex non distinguit, nec nostrum est distinguere. *arg. l. 3. ff. de Offic. presid.* Præterea videmus nudâ

ex causa prædationis viarum obfessionem gladii animadver-
sione eoergeri. *Const. Elect. 13. part. 4. ibi: In sachen die Räu-
berer betreffen/ wird die Wegelagerung mit den Schwerdt ge-
strafft.* Ecquâ igitur fronte ipsum prædationis atq; Rapinæ
crimen à gladii pœna eximemus? Accedit & hoc, quòd fur
ultimo supplicio sit afficiendus ob primum furtum, quod va-
lorem quinq; solidorum excedit. *Const. Elect. 32. §. wenn einer
part. 4. in verb. da es gleich sein erster Diebstal: ridiculum au-
tem est, ipso Imperatore fatente, eum, qui vi rapuit, mitiùs pu-
niri, quàm qui clam amovet in pr. Inst. h. t.* Quin & Scabinos
Lipsienses in dictandâ hâc pœnâ nunquam reiterationem re-
spexisse testis est *Carpz. in prax. crim. part. 2 q. 90 n. 26. & 27.*

XXXIV. *Secundò;* Ubi aliquoties Robaria reiterata,
& plures personæ ab uno eodemq; reo spoliatae fuerunt. Silet
enim hac in parte vox legis, absq; cuius autoritate nihil teme-
rè asseverandum, nec supplicium regulariter aggravandum.
*l. 5. ibi: nulla precipit juris constitutio. C. de Repud. c. cum is qui
in Ecclesia. 18. in fin. pr. extra de sentent. excomm. in 6. ibi: cum
id non sit expressum in jure.* Nec quenquam movere debet, quòd
ob reiterationem delictorum pœna sit augenda atq; multipli-
canda. *l. 28. §. 3. & §. 15. ff. de pœn. l. 8. §. 1. C. ad L. Jul. de vi publ.*
quia id non nisi in pœnis (ut *Dd.* loquuntur) iterabilibus &
compatilibus procedit, veluti in pœnâ pecuniariâ aut rele-
gationis vel exilii, quæ pro quantitate delictorum compati-
biliter multiplicari poterunt: Secus vero res sese habet in
pœnis non iterabilibus & inter se compatilibus, veluti si
pro singulis delictis pœna mortis imponi debeat; quo sanè
casu una aliam absorbet, quia per rerum naturam impossibile
est, unum eundemq; delinquentem sæpius morte puniri. *Ni-
colaus Reusn. lib. 2. Decis. 20. n. 16.* Quibus non resistit, quòd
aliàs ob atrocitatem insignem unius delicti aut etiam pluriù
reiterationem, pœna quandoq; exasperari soleat, ita, ut ultimi
supplicii genere aliquo graviore reus afficiatur, & alio quasi
præparatorio excarnificetur aut excrutietur; veluti ut conde-
mnatus ad ignominiam trahæ illigatus, ad destinatum execu-
tioni peragenda locum pertrahatur, & forcipibus candenti-
bus

bus aduratur, ternis vel quaternis vicibus, *Const. Carol. crim. art. 193. & 194.* etenim & hoc duntaxat in delictis atrocissimis obtinet, de quibus hoc ita dispositum expressè reperitur, veluti in latrocinio & infanticidio. *Const. Elect. 3. part. 4.* cum verò Rapina ex numero atrocissimorum delictorum non sit, neq; ullibi sancitum inveniatur, ut deprædator ob crimen multiplicatum trahæ impositus, ad supplicii locum duci, aut forcipibus candentibus ustulari debeat, utiq; nec tutò & absq; nimia severitate hæc pœna dictari poterit. Hinc etiam refert *Carpz. d. q. 90. n. 29.* judici præfecturæ in *Artisbaug* Mense Mart. Anno 1630. à Scabinatu Lipsiensi responsum fuisse, in casu Rapinæ vigesimâ vice commissæ, pœnam ordinariam non esse exasperandam.

XXXV. *Tertiò.* Ubi derobatio cum insigni percussione atq; vulneratione, absq; animo tamen interficiendi fuit perpetrata; tùm, quia pœnarum cumulatio regulariter non admittitur, nisi in id, quod plus est in unâ, quàm in aliâ. *l. 1. ff. h. t. l. 27. ff. de Oblig. & Act.* Atqui electâ pœnâ mortis, incunctabile est, quin per istius pœnæ executionem perveniatur ad finem pœnæ percussiois; neq; enim huic minori ulterius quicquam inesse potest, quod non majori mortis pœnâ sit comprehensum: tùm quia notissimi juris est, majorem pœnam absorbere minorem, nec locum habere hoc in casu pœnarum multiplicationem, juxta tradita *gloss. in l. qui de crimine. g. verb. plurima. C. de Accusat. Nicol. Reusn. lib. 2. decis. 20 n. 8.* qui annectit *sub n. 9.* regulam hanc tunc maximoperè veram esse, si delicta plura ad eundem tendant finem necessariû majoris seu principalis delicti, quod absq; illis nō tam cōmodè patrari poterat. Præjudicium hanc in rem adducit sæpiùs laudatus *Carpz. d. q. 90. n. 33.* ita se habens: *So möchte N. N. von wegen solcher begangenen vnd befandten beschädigung vñ beraubung mit den Schwerdt von Leben zum Tode gestrafft vñ vff ein Radt gelegt vnd geflochten werden. B. R. W.*

XXXVI. *Quartò* ubi plures hujus delicti socii atq; consortes extiterunt; tot namq; pœnas esse convenit, quot
D sunt

sunt delinquentium personæ; ratione profectò justissimâ :
Etenim quod à pluribus pro indiviso commissum est, singu-
los quoq; in solidum obligat, adeò ut alter conventus, alte-
rum non liberet. *l. 15. §. 2. ff. quod vi aut clam.* Idq; est quod *Ill-*
pian. in l. 21. §. pen. ff. de Furt. rescribit: plures fures, qui con-
junctis operis tignum aliquod gravius sustulerunt, in solidū
teneri. Et licet adductæ leges de delictis, ubi ad pœnam dun-
taxat pecuniariam & interesse agitur, conceptæ sint; attamen
exinde minimè inferendum erit, in aliis criminibus, in quib9
ad pœnam capitalem & corporis afflictivam proceditur, di-
versum quid statuendum esse, suadente hoc *Nov. 70. Leon. in-*
verb: Ut omnes quotcunq; fuerint, eodem supplicio afficiantur, ta-
met si parem operam rei perpetranda non omnes adhibuerint; non
enim si quis ipse manus inferenda neci non admoverit, continuo
insons & à pœna immunis esse poterit &c. Quod si auctoritas hu-
jus juris tibi Canonica non est, sufficiat *Serenif. Elect. Augusti*
sanctio in Const. 32 part. 4. §. vnd wo ihret viel zu gletch stelen ic.
ex qua id capias velim, ibidem Illustrissimum constituentem
in furto à duobus vel pluribus commissio, omnibus ex æquo
laquei pœnam dictare; siquidem portio ad unumquemq; il-
lorum ex re furata perveniens, valorem quinq; Ungaricorum
excesserit, unde sic colligo: Si pluribus furti sociis æqualis
pœna infligenda est, sequitur quod multò magis pluribus Ra-
pinæ consortibus, idem supplicium irrogari debeat. Atqui
verum prius. E. & posterius. Majoris connexio patet ex *l. 14.*
§. 13. ff. quod met. caus. l. 2. §. 10. ff. h. t. ubi Raptores furibus mul-
tò improbiores dijudicantur. Minoris lux mutuatur ex jam
adducta. *Const. Elect. 32.* Immotè igitur stabit conclusio, ex ve-
ritate præmissarum collecta, cui non parum quoq; suffraga-
tur id, quod apud *Dn. Carpz.* de quinq; Raptoribus, qui consi-
lio præmeditato tres equos vehiculo junctos vi abduxerant,
præjudicii loco positum offenditur *d. q. 90. n. 37. ibi: So möch-*
ten sie alle fünffe wegen solches begangenē vnd bekanten Stra-
senraubes mit den Schwerdt von Leben zum Tode gestrafft vnd
eines jeden Körper vff ein sonderlich Radt gelegt vnd geflochten
werden B. N. W. Observes tamen prædicta procedere, ubi
non

non adeo magnus est delinquentium numerus, ceteroquin
si coniosa extat peccantium farrago, forte severitatis rigor
temperandus erit. Et in hanc sententiam scribit *Augustin.*
c. 25. in fin. distinct. 50. Ubi populorum strages jacent, ibi seve-
ritas mitiganda est, ut majoribus malis sanandis charitas sin-
cera subveniat. Et *Honorius cap. fin. de transact.* poteris, *in-*
quit, interdum aliquid severitati detrahere, prout (statu impe-
rii, & excedentium multitudine, provida deliberatione pen-
satis) videris expedire. Hinc quoque fluxisse videtur Romano-
rum aliarumque gentium institutum, quibus mos fuit, ut e multis
fortitione decimum, interdum vicesimum, tricesimum, vel etiam
centesimum educerent, qui ceteris pari terrore ac damnatio-
ne affectis, solus tamen poenas lueret. Cujus rei meminit
Cicero in Orat. pro Cluentio stylum in haec laxans verba: Statu-
erunt ita majores nostri, ut si a multis esset flagitium rei mili-
taris admissum, fortitione in quasdam animadverteretur, ut
metus videlicet ad omnes, poena ad paucos perveniret &c.
Liv. lib. 2. Appius Claudius Consul, *inquit,* advocata concio-
ne infectus haud falso in proditorem exercitum militaris di-
sciplinae, desertorem signorum, ubi signa, ubi arma essent,
singulos rogans inermes milites, signo amisso signiferos,
ad hoc centuriones duplicariosque qui reliquerant ordines,
virgis coesos securi percussit, caetera multitudo decimo quisque
ad supplicium lecti.

XXXVII. *Quinto.* Ubi rei etiam minimi valoris de-
praedatio facta. Et hac quidem de controversia cum *supra*
satis superque actum fuerit, crambem bis coctam non appona-
mus, lectorem remittentes ad *th. 17.* ubi rationes, ut opina-
mur, sat praegnantibus pro stabilienda hac assertione adduxi-
mus, eandemque sententiam Scabinatus Lipsiensis elegantissimam
corroboravimus.

XXXVIII. *Sexto.* Ubi Raptor poenitentiam agit, Do-
minoque res ablatas restituere paratus est. Perspicue hoc ipsum
probat *l. 5. ff. b. r.* Ubi *Gajus* ita rescribit: *Non prodest ei, qui vi*
rapuit, ad evitandam poenam, si ante iudicium restituat rem, quam
rapuit. Cujus rei rationem reddidit *Ulp. in l. 65. ff. de Furt.*

nemo enim tali peccato poenitentia sua nocens esse desinit. Parum refragatur, quod alias in criminibus non adeo atrocibus poenitentes veniam poenae consequantur. *l. ii. ff. de in jus vocand. l. 4. §. 6. C. de heret. & manich.* veluti etiam in crimine furti expressè dispositum est in *Const. Elect. 32. §.* vnd nach dem *part. 4. ibi:* So ihres begangenen Lasters zeitliche Reue tragen *rc.* Probè namq; distinguendum est, an delinquentes nondum accusati, nec à Judice praeventi, maleficium spontaneâ confessione revelent, sicq; ad asylum poenitentiae confugiant; an verò serò nimis, & jam actione publicâ pulsi, vel planè in carcerem detrusi, hoc faciant: Priori casu mitigationi locum relinquunt adductae leges, posteriori non utiq;. Quis enim tam malesanae & perditae mentis esset, qui cum semet accusatum, jamq; vinculis constrictum conspiceret, medium hoc elabendi non ambabus manibus apprehenderet? Ceterum quod Raptor etiam nondum accusatus poenitentia sua gratiam nullam consequitur, illud propterea fieri existimamus, quia hoc in crimine lex severitatem judici expressè injunxit; aliter atq; *Carpz.* qui poenitentiam post delictum consummatum nullatenus mitigare poenam ait, quando res in integrum statum post consummationem restitui nequit *d. q. 9a. n. 59.* Hanc enim responsionem erroneam esse liquet non modo ex *art. 14. lib. 2. Landr. in verb. kompt er denn ohne den Tod den vor Gerichte/ vnd bekennet er es/ ehe man vber ihn klaget/ vnd beut sich darumb zu rechte man soll ihm sein Hals nicht vertheilen/ & paulò post: Vmb den toden Mann aber mag ihn niemand an den Hals sprechen/ alldieweil er sich zu rechte darumb bott/ ehe man auff ihn klagete *rc.* Verùm etiam ex subiecto casu perquam notabili, qui ad Nobilissimos quondam hujus loci Scabinos, *Mense Octobr. Anno 1609.* fuit delatus, quo maritus quidam ultra 2000. florenorum in bonis habens, & alioquin bonae famae, statim atq; capturam mulieris, cum qua adulterium perpetraverat, rescivisset, & antequam adultera quicquam de se & sociis criminis falsa esset, se ipsum judici ultrò obtulit, & delictum fassus mitigationem poenae, concurrentibus aliis circumstantiis urgentibus (quas exprimit*

Dn.

Dn. Petr. Theod. p. m. loco i. citato) ad multam duntaxat 250.
florenorum condemnatus fuit, notante jam jã laudato *Theod.*
in Diss. Colleg. crim. 10. th. 4. lit. Q.

XXXIX. *Septimò.* Ubi consilium auxiliumve præsti-
tum, vel mandatum ad rapiendum datum est. Paria namq;
judicantur, damnum dedisse, seu factum perpetrasse & causam
eidem præbuisse. *l. 169. ff. de R. J. l. 1. §. 12. ff. de vi & vi arm.*
Bellissima sese hïc offert quæstio; Utrum duo hæc, consilium
& auxilium conjunctim requirantur, ad hoc, ut Ordina-
ria locum habere possit pœna, an verò alterutrum horum
sufficiat? Circa hujus decisionem sequentia probè perpen-
denda sunt (1.) dupliciter hïc usurpari consilium, vel pro spe-
cie cujusdã mandati, proq; impulsione & instructione, prout
accipitur in *l. 50. §. 3. l. 52. §. 19. ff. de Furt. l. 53. §. ult. ff. de V. S.* vel
pro simplici monitione & hortatione; veluti si quis egesta-
tem professo, & pecuniam petenti simpliciter suadeat, ut Ra-
pinã pecuniam sibi quærat; quo pertinere videtur *l. 36. in pr. ff.*
de Furt. & §. 11. in fin. Inst. de Oblig. quæ ex delict. nasc. (2.) Au-
xilium vel opem ferre sumi & latius & strictius. Strictius
quidem, cum quis deliberatò atq; fraudulenter auxilium rea-
le per actum proximum Raptori præbet, vel præsens manu
suã auxilium cooperativum præstando, aut absens instrumẽta
ad rapiendum prudens sciens commodando, quo de *l. 54. §.*
pen. ff. de Furt. Latius auxilium ferre significat præbere adju-
mentum per actum remotum, unde causa immediata depræ-
dationi non datur, veluti si quis indicio ac demonstratione,
modum & occasionem rapiendi notam faciat, aut locum ubi
viatores morantur ostendat (3.) opem ferri tribus tẽporib; vel
ante maleficium, vel in ipso maleficii actu, vel post maleficiũ
commissum. His ita prælibatis tales extruimus regulas. *Prior*
hæc esto: Quicumq; consilium absq; auxilio præbet, pœnã
Rapinæ ordinariã non tenetur. Consilium illud, sive in ter-
minis simplicis monitionis subsistat, sive latius sese extendat,
ita ut & instigationem atq; instructionem comprehendat, ni-
hil refert, si consideramus pœnam gladii ordinariam, quæ se-
cundum sanctionem Carol. & jus consuetudinarium malefa-

tori venit infligenda, ceu quidem ex regula sequenti fiet manifestum: Quatenus vero loquimur de poena ordinaria, habito respectu ad jus nostrum civile Romanum, certum est, consilium posteriori modo sumptum in crimen Rapinae incidere. *l. 52. §. 19. ff. de Furt.* Si modo, quod addendum est, alter consilium hoc secutus, Rapinam commiserit; ceteroquin si eo consilio usus non sit, verius est, cessare vi bonorum Raptorum actionem. *d. l. §. 1. in fin. ff. de U. S.* Altera regula sic habet: Quicumque ante Rapinam commissam, vel in ipso actu facinoris hujus deliberato & dolose per actum proximum Raptori auxilium praebet reale, ac per hoc causam dat depradationi immediatam, Rapinam insecutam, gladii poenam est plectendus. Regula haec tria conjunctim requirit (1) ut auxiliator fraudulenter opem Robatori praestet, consilio deliberato praecedente, *daß sie sich miteinander darzu vergleichen.* Ignorantia enim facti excusat à delictis. *l. 18. C. ad L. Jul. de adult. & voluntas atq; propositum delinquendi distinguit maleficia. l. 14. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Hinc Bald. in *l. 4. vers. nota 6. C. de Serv. fugitiv.* inquit: Si commodavi equum, vel famulum alicui, dicenti se velle ire in villam, cum iret ad occidendum hominem, me non teneri, cum delictum non venerit in mentem meam. (2.) Ut auxilium reale praebatur, hoc est, ut quis manu suam auxilium cooperativum praestet, sine quo quis Rapinam vel omnino non, vel non facile posset perpetrare; veluti ut quis viatores aggrediatur, verbis aut minis terrorem incutiendo, ac praeveniendo ne effugere queant, aut si effugiant, res relinquere cogantur. (3.) Ut Rapina sit subsequuta. *d. l. 52. §. 19. ff. de Furt.* Ubi disertis verbis dicitur, quod opem ferre & consilium dare tunc noceat, cum secuta contrectatio est. Sequitur Tertia regula: Licet quis depradatori auxilium & opem praebet, attamen si delicto jam commisso & perfecto hoc fiat, nequiquam is gladio, sed poenam extraordinariam, pro judicis arbitrio, puniendus est. Poena enim, cum delicto proportionata esse debeat, iniquum profecto esset, eadem animadversione auxilium in ipso Rapinae actu & post

post delictum perfectum præstitum coerceri. Videatur *Carpz.*
part. 2. pract. crim. q. 57. n. 36. & mult. seqq.

XL. *Octavo & ultimo.* Ubi Robaria in villis, oppi-
dis vel ædibus privatis doloso ac hostili animo commissa est,
tùm ob generalitatem textûs in *art. 13. lib. 2. Landr. & art. 126.*
Ordin. crim. Carol. tùm quia quilibet in domo suâ ceu tutis-
simo receptaculo & ratione personæ & ratione bonorum
suorum securus esse debet. *l. 18. ff. de in jus vocand.* tùm quia
is, qui in villa vel ædibus homines violentâ ac hostili manu
spoliat, pacem violat publicam, quemadmodum ex ipsius
constitutionis pacis publicæ subjectis constat verbis: *So*
einer den andern oder die Seinigen eigenthätiger weise bekrie-
get/beraubet/sâhet/uberziehet/besâdet/mit Plündern/Kauben/
Brennen/Morden/Beschâdiget &c. Et ita quoq; pronuntia-
tum fuisse in Scabinatu Lipsiensi testatur *Carpzov. d. q. 90.*
n. 77.

XLI. *Persectâ* sic poenâ *Ordinariâ*, justo nunc ordi-
ne ad *Extraordinariam* nos convertimus. Diximus verò ean-
dem esse vel *Exasperatam*, vel *Mitigatam*. *Missâ Illa, Hujus* causæ
tantummodò curæ nobis cordiq; erunt.

XLII. Quanquam autem, quæ sint istæ causæ, ob quas
poenâ *Rapinæ* ordinaria remitti, aliaq; mitior substitui pot-
est, certa definitione comprehendi nequeat; cùm judicis
potissimùm arbitrio hæc res sit relicta. *l. 32. ff. de poen. l. 3. C. ex*
quibus caus. infam. irrog. exempli tamen gratia si quasdam
in chartas conjecerimus, à proposito nostro non omninò
erit alienum.

XLIII. *Princeps* mitigationis causâ est *carentia doli*.
Ubicunq; enim ille deficit, ibi poenâ cessat ordinaria. *l. 7.*
ff. ad L. Cornel. de Sicar. Quocirca si quis eum, qui alium in
via publica spoliavit, rursus in continenti spoliat, eâ qui-
dem mente, ut rem vero suo Domino, qui fortè procul non
abest, restituat, meritò exulante ordinariâ poenâ, arbitraria
obtinebit (i.) quia natura inter homines cognationem quan-
dam constituit. *l. 3. vers. & cum inter nos ff. de J. & J. quæ mo-*
net,

net, ne non solum alios lædamus, sed etiam ut beneficio afficiamus. *l. 7. in fin. ff. de Serv. exportand.* (2.) Quia, qui non repellit à Socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit. *l. 45. in pr. ff. ad L. Aquil. c. quantæ. 47. de sentent. excommunic. in 6.* (3.) Quia in *Const. crim. Carol. art. 150. §. 1.* expressè concessa est defensio, quæ pro rebus extranei suscipitur ibi: *Item So etner zu rettung eines andern Leib/ Leben / oder Gut jemand erschläget ic.* Dissentit à nobis *Carpzov. d. q. 90. n. 53.* Sed quàm feliciter, ipse videat. Ratio profectò, quâ utitur nim. non tam damnum per deprædationem datum, quàm pacis publicæ violationem in causa esse, quare ejusmodi malefactores extremo supplicio sint subjugandi, ficulnea est, & ipsius scriptis protinus contraria. Audiamus quid dicat in *part. 1. pract. crim. q. 35. n. 20.* Tertium (*inquit*) requisitum ad fundandam superfracta pace jurisdictionem est dolus malus, hoc est, ut vis publica, quam armatâ manu & collectis hominibus fieri, dixi, proficiscatur ex vero dolo, atroce malitiâ, ex proposito & destinata offendendi voluntate, præcedente & communicato consilio, de industria & datâ operâ, juxta verba constitutionis pacis publicæ, *fürseßlich / gefährlich vnd freventlich ic.* At, ubi fides, in defendente res alienas dolus malus? Ubi atrox malitia? Ubi offendendi voluntas? Nullibi certè conspicitur.

XLIV. *Secundam* mitigationis causam suppeditat *iracundia.* Difficilimum enim est, justum dolorem temperare. *l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de Adult. & inconsultus calor* vitio caret, ac proindè nullam pœnam meretur. *l. 1. §. 5. ff. ad S. C. Turpil. & ignoscendum est ei, qui voluit se ulcisci provocatus. l. 14. §. 5. ff. de bon. libert.* Notabile hanc in rem præjudicium affert *Carpz. part. 2. pract. crim. q. 91. n. 47.* quod vide.

XLV. *Tertiò* minuitur pœna ordinaria in *crimine attentato*, effectu non subsecuto, juxta *ordin. crim. Carol. art. 178. vers. Aber in einen Fall härter denn in andern / angesehen*
gele.

Gelegenheit vnd Gestalt der Sachen / darümb sollen solcher
Straffe halben die Breiher Raths pflegen zc. Cui accedit,
viva juris ratio: Ubi non est Rapina, ibi nec pœna Rapi-
næ. Atqui reo in ipso Rapinæ actu deprehenso, priusquam
quid surripiat vel auferat, Rapina propriè commissa non
est. E. &c. Assumptio expedita est, & probatur tum ex l. 21.
§. 7. ff. de Furt. tum ex ipsa Rapinæ definitione, ubi gene-
ris loco posuimus contrectationem. Est autem contrecta-
tio propriè amotio de loco ad locum. l. 3. §. 18. ff. de acquir.
vel amitt. poss. l. 67. in pr. ff. de Furt. Nec sufficit amotio rei
simplex, in loco ubi reperitur, sed necesse est, ut amoveatur,
& deferatur extra illum locum, ad locum destinatum. l. 21.
in pr. §. 5. l. 22. §. 1. ff. de Furt. Et huic sententiæ adsunt Sca-
bini Lipsienses, referente Dn. Carpz. d. q. 91. n. 34.

XLVI. *Quarta* causa mitigationis consistit in *Permu-
tatione coactâ*. Hæc namq; pro violentâ Rapinâ propriè
habenda non est, secundum illud proverbium, quod lippis
atq; tonloribus haud est incognitum; *Wechsel ist kein Raub*:
Quod tamen non ita simpliciter, sed cum mica salis intelli-
gendum, ubi videlicet aliqua inter res permutatas adest pro-
portio, valorq; haud multum inæqualis; quod si enim grassa-
tor rem majoris pretii pro re etiam minimâ, & vix tribus ne-
bulæ cyathis mercali auferat, quin vera perpetretur Rapina,
hæsitandum planè non est. Et secundum hætenus dicta per-
petuam duntaxat relegationem cuidam deprædatori dicta-
tam fuisse, tradit Carpz. d. loc. n. 11.

XLVII. Mitigationis causis *quintò* accensetur *dira Fa-
mis necessitas*, quâ de in art. 166. *Const. crim. Carol. V.* hæc le-
guntur verba: *So jemand durch rechte Hungers Noth die er/
sein Weib oder Kinder leiden/ etwas von essenden Dingen zu/
stehlen geursacht würde/ wo dann derselbe Diebstall dapffer/ groß/
vnd kündlich wehre/ sollen abermahls die Richter vnd Breiher/
ler Raths pflegen zc.* Rationem plerumq; hanc reddunt *Dd.*
quia tempore necessitatis omnia sunt communia; quod qui-
dem perperam ostendunt ex l. 2. §. 2. *vers. fin. ff. ad L. Rhod. de*
E jact.

jaet. rectè ob id reprehensi à *Dn. Riemer. Decad. 12. q. 4.* Melior est, quòd ignoscendum sit ei, qui se & sanguinem suū qualitercunq; redimere satagit. *l. 1. in fin. ff. de bon. eor. qui ante sentent. &c.* & quod fames inevitabilem inducat necessitatem, quæ omnes solvit leges. *cap. 29. caus. 1. q. 1. cap. 11. de consecrat. distinct. 1. c. 2. distinct. 4.* Verùm hæc sententia ita exaudienda est, ut tùm demum procedat, cùm subsidia ordinaria penitus deficiunt, ita ut vel laborando, vel mendicando, quantum ad vitam sustentandam sufficit, corradī nequeat, sed vel omnino moriendum sit, vel rapiendum: Quo etiam casu Raptori fustigationis tantummodò pœnam imponendam esse, censuit Scabinatus Lipsiensis ad requisitionem Wolffgangi Theod. à *Schleinitz Mens. Aug. Anno 1630.* ut refert *Carpz. d. q. 91. n. 48.*

XLVIII. Suadet deniq; mitigationem occulta deprædatoris *Receptio*, pariter atq; rerum *Rapinæ* vitio affectarum. *Emptio*, nec non nuda earundem *Participatio*. De Receptatore illo non loquimur, qui infimul criminis extitit socius, quem aliàs eadem cum principali pœnâ coerceri, liquet ex *l. 1. C. de his qui latr. vel alior. crim. reos.* in verb. *Occultando eum eamve sociarunt &c.* Sed de eo, qui nudum saltem in laribus familiaribus reo præstat refugium, quem extra ordinem arbitrio judicantis puniendum esse, rectè statuit *Dn. Petr. Theod. p. m. in Diss. Colleg. crim. 3. th. 15. lit. C.* maximè si cognatum aut affinem is receperit. *l. 2. ff. de recept.* Ignoscendum enim aliquo modo est illi, qui consilium pro tuendis suis inivit. *arg. l. 1. ff. de his qui ant. sent. mort. &c.* Quapropter patrem hoc casu, qui filium occultaverat, pœnâ solummodò pecuniariâ mulctari placuit Scabinis Lipsiensibus, notante *Carpzov. part. 4. pract. crim. q. 134. n. 51.* Præterea eum quod attinet, qui res prædâ comparatas scienter & dolo malo emere non erubuit, sic sentimus; illum videlicet non modò ad rei emptæ restitutionem Domino teneri. *l. 2. C. de Furt.* verùm etiam pœnâ arbitrariâ, carceris, relegationis, vel etiam quandoq; mulctâ pecuniariâ plectendum esse, secūdum ea quæ tradit *Carpz. part. 2. pract. crim. q. 87. n. 60. & seqq.* ad quem me remisisse sufficiat.

Ex

Ex hisce iudicium quoq; ferri potest de illis, qui de rebus de-
prædatione ablatis participant, easq; dilapidant; nimirum, ne
illos quidem poenâ gladii ordinariâ afficiendos esse. Quan-
quam enim negari haud queat, hosce Rapinam approbare &
quasi ratificare; quia tamen operam ipsi suam in actu depræ-
dationis planè non applicuerunt, quin à poenâ mortis sint
immunes, extra omnem dubitationis aleam positum vide-
tur, ne par adjuvantes & approbantes poena expectet: cum
approbantes non tam graviter peccent, ac illi, qui opem &
auxilium præbent, uti expeditum est. Atq; secundum hanc
assertionem, remissâ gladii poenâ, participantibus non nisi
perpetuam relegationem impositam fuisse, pronunciato Sea-
binorum Lipsi. firmat *Carpz. d. q. 78. n. 45.*

XLIX. Restaret adhuc, ut novissimè, ultimum quoq;
processus criminalis actum, videlicet *Executionem* contem-
plaremur; verùm ne legem Disputationis transgrediamur,
pedem hîc figimus, lectorem benevolum obnixè rogantes,
ut si quid forsitan erratum in ea vel minùs appositè scri-
ptum inveniat, id communi hominum conditioni cum
Sacratissimo Imperatore haud invitus adscribat, *in Const. Tan-
ta de Confirm. §. 14.* memor in super sententiæ illius Mar-
tiani in *l. 65. §. 3. ff. de Legat. 3.* Omnes adhuc discere posse,
& omne artificium recipere incrementum. Quod si id, ut
speramus, impetraverimus, alterum etsi pedem in tumulo
habuerimus, non pigebit tamen aliquid addiscere. *l. 20. ff.
de Fideicommiss. libertat.*

MANTISSA.




Uid per ARCULAM intellexerit Marcianus in *l.
39. ff. de religio. & sumpt. funer.* bonus noster, ut-
pote antiquitatis ignorantissimus, non intellexit
Accursius; existimans, casam fuisse, in quâ ultra
montes magni homines imponerentur sub terra.
Nimium quantum absurda hæc conjectatio! Ait enim in *d. l. 39.*
Mar-


Marcianus, arculam in commodiorem locum transferri potuisse; quod utiq; casæ ejusmodi, ceu rei immobili malè ad commodaveris. Unde in Epitaph. An. Crestinæ sic legitur: NE QUIS NOS INQUIETET EX ARCA NOSTRA, NEQUE AB ANTE ALIAM PONAT, AUT COMMUTET. Deinde arcæ olim non nobile tantùm sepulchri genus arguebant; quomodo quidem Scipionis corpus arcâ conditum, refert Senec. *epistol. lib. 13.* sed & plebejum maximè, ut vel ex *Lucan. atq; Horat. notat Cujac. lib. 11. obs. 21.* Quid ergò? Suspicamur cum Jacob. Rævard. *lib. 2. Varior. c. 4.* ad eam sepeliendi rationem respexisse Marcianum, cujus nobis memoriam ministrat familiaris noster Cassiodorus, Scriptor omni eruditionis genere sublimissimus. Sic verò ille *lib. 3. variar. epistol. 19.* *Et ideo artis tuæ peritiâ delectati, quam in excavandis & ornandis marmoribus diligenter exerces, præsentî auctoritate concedimus, ut te rationabiliter ordinante, dispensentur arcæ, quæ in Ravennati urbe ad recondenda funera distrahuntur, quarum beneficio cadavera in supernis humata, sunt lugentium non parva consolatio: quoniam animæ tantùm de mundi conversatione discedunt, corpora verò dulces quondam superstites non relinquunt.* Eoq; sensu accepisse arcam lapideam visus est etiam Cajus in *l. 7. §. 1. ff. d. t.* itemq; Frontin. *de divers. mensur. agror. lib. 1.* Vide sis Johann. Kirchmann. *de funerib. Roman. lib. 3. c. 15. in fin.* Ac ejusmodi arcas & quidem marmoreas, cum Accursii, Odofredi & Roffredi, Bononiæ; tum aliorum alibi in Italia passim etiamnum extare, testem cito ocularem Heinric. Salmuth. *in Not. ad Guidon. Panciroll. lib. rer. memorabil. deperditar. tit. de exequ. mortuor. pag. 723.*

DEO TRISMEGISTO

GLORIA.








ULB Halle

3

003 252 736



Sb.

V017





DISPUTATIO JURIDICA
DE
RAPINA,

Cr. g num. 61.
1640, 2
2

P 435

Quam
Duce Christo,

*Indultu Magnifici atq; Nobilissimi Jctorum
in inclytâ Salanâ Ordinis,*

SUB PRÆSIDIO
VIRI

*Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, atq;
Excellentissimi,*

DN. ZACHARIÆ Prueschencen
JCTI EXIMII, CONSILIARII SAXONICI
gravissimi, Pandectarum Professoris meritissimi,

Curiaë item Provincialis & Scabinatus Adfessoris spe-
ctatissimi; Dn. Præceptoris, Patroni ac Promo-
toris sui continuo observantiæ & ho-
noris cultu reverenter
prosequendi:

Publico Eruditorum examini subjicit

FRIDERICUS Freiesleben/ Eisenbergensis.

In auditorio Jctorum
Ad diem Novembr.

JENÆ,
PRELO LOBENSTEINIANO.
ANNO clō lōc XXXX.

30

